

1.5.21

*Idem A. Iohanni pp.*

Quoniam multi iudices in dirimendis litigiis nos interpellaverunt, indigentes nostro oraculo, ut eis reseretur quid de testibus haereticis statuendum sit, utrumne accipiantur eorum testimonia an respuantur, sancimus contra orthodoxos quidem litigantes nemini haeretico vel etiam his qui Iudaicam superstitionem colunt esse in testimonia communionem, sive utraque pars orthodoxa sit sive altera.

1 ¶ Inter se autem haereticis vel Iudaeis, ubi litigandum existimaverint, concedimus foedus permixtum et dignos litigatoribus etiam testes introduci, exceptis scilicet his, quos vel Manichaeus furor (cuius partem et Borboritas esse manifestissimum est) vel pagana superstitio detinet, Samaritis nihilo minus et qui illis non absimiles sunt, id est Montanistis et Tascodrogis et Ophitis, quibus pro reatus similitudine omnis legitimus actus interdictus est.

2 ¶ Sed et his quidem, id est Manichaeis et Borboritis et paganis nec non Samaritis et Montanistis et Tascodrogis et Ophitis, omne testimonium sicut et alias legitimas conversationes sancimus esse interdictum: aliis vero haereticis tantummodo iudicialia testimonia contra orthodoxos, secundum quod constitutum est, volumus esse inhibita.

3 ¶ Ceterum testamentaria testimonia eorum et quae in ultimis elogiis vel in contractibus consistunt, propter utilitatem necessarii usus sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur.

*D. V k. Aug. Constantinopoli post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc.*

[a. 531]

1.5.22

*Idem A. Iohanni pp.*

Divinam nostram sanctionem, per quam iussimus neminem errore constrictum haereticorum hereditatem vel legatum sive fideicommissum accipere, etiam in ultimis militum voluntatibus locum habere praecipimus, sive communi iure sive militari testentur.

*D. k. Sept. post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc.*

[a. 531]